DE INEFFABILI TRINITATIS MYSTERIO

ORATIO

Habita in Sacello Pontificio

AD SANCTISSIMUM D. N.

BENEDICTUM XIV.

PONT. MAX.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

A

COMITE FERDINANDO DE ABDUA

PATRITIO MEDIOLANENSI

Collegii Clementini Convictore.



ROMÆ, Typis Bernabò, & Lazzarini, MDCCXLVI.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

Sanctiſſimo Domino Noſtro

BENEDICTO XIV.

PONTIFICI MAXIMO

FERDINANDUS DE ABDUA

FELICITATEM.

SINGULARIS *Humanitas tua*, BEATISSIME PATER, *qua proxime elapſo anno Germani Fratris mei habitam de*

Digitized by Google


Auguſtiſſima TRINITATE *Orationem non es dedignatus excipere, adjecit animos mihi, ut de admirabili argumento dicere auderem, & quod plane tuum eſt, Sanctiſſimo tuo Nomini inſcriberem. Cum enim Pater omnem poſuerit in Filio poteſtatem, cujus Paraclito Divino Spiritu afflante, vicariam auctoritatem in terris geris, & ita geris, ut ſumma Chriſtianæ Reipublicæ felicitate Te boni omnes diu ſoſpitem, incolumemque precentur, non erat, cur dubitarem Tibi offerre, quæcumque eſſem de Beatiſſima illa* TRINITATE *loquutus. Neque quis mihi jure ſuccenſeat, perinde ac nimium fidenter*

Digitized by Google

Te adire audeam, qui ſciat, quanta me, Gentemque meam dignaris clementia reſpicere, benevolentia complecti, augere patrocinio, collatiſque beneficiis ornare. Ego vero Benignitati tuæ me, meaſque omnes vitæ rationes devovens Sanctiſſimos Pedes tuos deoſculor, Deumque Optimum Maximum precor, ut numquam Munificentia tua, tuaque Benedictione indignus exiſtimer.

Digitized by Google

Digitized by Google



ORATIO.

DIVINA ſane providentia, BEATISSIME PATER, qua Sedes Apoſtolica regitur, cum omnibus ſemper patuerit in rebus, in eo ſe præſertim aperuiſſe crederem, quod Sapientiſſimo Pontificum Romanorum conſilio ſtatutum eſt, ut præteritis jam Dominicæ Reſurrectionis, & Aſcenſionis, mirabiliſque Adventus Spiritus Sancti Solemnitatibus Auguſtiſſimæ TRINITATIS Feſtum hodierna die ageretur, & in hoc præcipue ageretur loco, qui toto terrarum orbe maximus omnium conſenſione cenſetur. Quemadmodum

enim

enim Univerſorum ille Conditor non niſi abſoluto cunctarum rerum opificio, & conciliata ſibi ſeptimæ diei quiete hominem eſſe juſſit animantium columen cæterorum, ac complementum; ita divino plane conſilio ab Eccleſia factum eſt, ut poſtrema hæc dies occurreret præteritarum abſolutiſſima. Hæc ſane omnem divinitatis theſaurum abundantius complectens multitudinem nobis exhibet Unitati conjunctam, & ſine diſpendio æternitatis productionum internarum fœcunditatem. Cum etenim reliqua Myſteria veluti quoddam agnoſcant initium ſui, certoque a tempore inceperint, & non eſſe omnino potuerint: hoc contra immutabile prorſus, & æternum eſt; neque illa ſolum ſua æternitate antecellit, ſed etiam principium eſt, & origo cæterorum. Reliqua aut ab divini Verbi Incarnatione manarunt, aut eamdem conſequuta ſunt. Verum cum ipſa Cœleſtis Sapientiæ Incarnatio in Sanctiſſima TRINITATE fundetur, quis non intelligit ex hoc veluti fœcundo Myſteriorum fonte illa quoque copioſius derivare.

Quare nullum Myſterium eſt, quod eo prius credendum occurrat: quippe cum primus ad Religionem gradus ſit Deum noſ-

Digitized by Google

noſſe, qui Unus ſimul, & Trinus eſt: quod quidem ille ſit, neminem fugere poteſt: *Inviſibilia enim ipſius per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*. Ad Auguſtiſſimam vero TRINITATEM humana ratio non aſſurgit: quapropter oportet, ut qui ad Deum accedit, ſe totum Fidei tradat, & Deo, qualis eſt, revelanti mentem ſubjiciat. Factum inde eſt, ut proprium oriretur, ac ſingulare Chriſtianæ Reipublicæ diſcrimen ab iis, quæ toto fere terrarum Orbe protendebantur, Religionibus, per quod hæc ab illis ſecerneretur, & eaſdem longo poſt ſe intervallo relinqueret. Ignorant enim aliæ verum Deum, aut qua unus eſt, tantum norunt; at nos id habemus eximium, ac proprium, quod ſupra naturæ lumen ab ipſo Auctore noſtrûm evecti, Trinum in Perſonis etiam agnoſcimus, æternumque Patrem, unicum ipſius Filium, & qui ab utroque procedit, Spiritum Sanctum conſtantiſſime veneramur.

1. ad Romanos 20.

Atque oh deplorandam cæcitatem, aut potius dolendam temeritatem eorum, qui cum ſe ipſos nullo modo capiant, Deum tamen capere contendunt, quidquid autem cogitatione non aſſequuntur ſua, id impudentiſſime negare non pertimeſcunt! Proh

egre-

Digitized by Google

egregiam Catholicorum fidem, non modo ubivis gentium, locorumque prædicandam, ſed in hac præſertim excelſiſſima Religionis Sede perpetuis laudibus proſequendam! Et ſane utriuſque rei vix meminiſſe poſſumus, quin integræ inter utramque convenientiæ non recordemur. Tanta enim inter divinas Apoſtolicæ Sedis facultates, triumque attributa Perſonarum neceſſitudo intereſt, quanta unquam eſſe poteſt inter cauſam, & effectum ipſius præſtantiſſimum. Profecto ſi æterni Patris potentiam colimus, cujus omnipotenti imperio ea quoque paruerunt, quæ nondum extiterant, nonne illico admirari ſubeſt Pontificiam auctoritatem, in quam ſive patefactis inferorum clauſtris tartareæ irrumperent, eæque multiplices peſſimorum hominum peſtes, ſive Romanis ligata legibus ſolvere auderent, ſive irritis quidem operum, doctrinarumque conatibus ſoluta ligare minarentur, prævalere tamen non potuerunt? Si vero ſapientiam in Unigenito Dei Filio ante abyſſos longe multum conceptam obſequiis hac die feſtiviſſimis proſequamur: fugietne nos illa, quæ in altiſsimis habitat ſupremi hujus Solii Sapientia, qua ſemper eſt omnibus ſuaviſsime diſpoſitum,

qua-

Digitized by Google